

Horum fabrica in castris.

Atq; hæc terribilis ne desit Machina Martis,  
(Partem perdiderat ventis seducta Carina)  
Regia constituit nusquam non provida cura  
Vulcani fabricam, quâ parte Georgius ædes  
Pauperibus sacras proprio de nomine dixit;  
Conclusitq; locum vallo, atq; HENRICIVS acer  
Huc migrat Legione suâ. Dumq; obsidet Urbem  
Genti inopi victum largè dat Regia dextra.

Frustrâ ob silentibus obsessis.

Hac quoq; Regales Turmas depellere sede  
BARRIVS & CERIDON, sociâ comitante catervâ,  
Fortiter aggressi. Virtus sed fortior illis  
Obstitit Sueonum, retroq; repellit in Arcem.

Turris Arenaria convellitur.

Omnibus intereâ validè quassatur ab oris  
Munimen portæ, Turris, cui nomen Arenæ,  
Saxea quæ moles longè se extendit in altum,  
Noxiâq; inprimis emittere fulmina suevit.  
Stat vix mota diu, nec multo rumpitur ictu.  
Tandem longa dies superat, nec civibus usus  
Permanet. Assiduo terebratis fulmine muris,  
In fundum Tabulata ruunt, quæ commoda Marti.

Et porta.

Porta ipsa exterior patitur confracta ruinam.  
In terram interiùs fastigia summa feruntur.

Ac lorica.

Rursus & in vallum passim sævitur, & infra,  
Bis denos licet ampla pedes, Lorica fatiscit,  
Nec tuta est statio, multo jam verberè rupta.

Fossa Urbis exhausta.

Millenos quippe una dies, molisq; stupendæ,  
Ære cavo dedit ire globos. Exhausta deinde  
Fossâ Urbis, ductâ in Dunam à fodientibus undâ.

Castraq;